



Angeb.
~~Dubl m~~

a. A.: 4. an 7f 3625 (7f 2198)

- n. Pm. Vg 1642 ^a =

Q-K.

2

T. q. 299.

T E R T I A
DISPVTATI.

D E C O E N A D O_{MINICA}, EX V E R I S F V N-
D A M E N T I S A R T I C V L O R V M A-
scensionis Christi ad cœlum, Sessionis ad dexteram
Patris, & unionis diuinæ & humanae natu-
ræ, in unam personam Christi.

O P P O S I T A V E T E R V M E T
recentiorum Caluinistarum, impijs & ineptis corruptelis &
argutij Philosophicis, ex ijsdem articulis pers-
uerse intellectis, detortis, &c.



Andreas Musculus D.

I. C O R. X.

Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne
communicatio est sanguinis Christi?

Panis quem frangimus, nonne communicatio est
corporis Christi?

M. D. LXXIIII.

IMPIÆ COR.
R V P T E L Æ A R.
TICVL ORVM FIDEI,
ex eorum prauo intellectu, in
controversia de Cœna
Dominij detortæ.

V M adeo expressa, cer-
ta & firma sint, institutæ ab ipso Dei
Filio Cœnæ Dominicæ verba, ut
Sacramentariorum & Caluinistarū
impiæ, incertæ, & falsissimæ inter-
pretationes & opiniones de illis
sponte sua corruant & concidant, nouas subinde cor-
ruptelarum, sophismatum, & cauillationum præstigi-
as illi effingunt & astruunt, & ex peruerso intellectu
Articulorum de Ascensione Christi in cœlum, sessio-
ne ad dexteram Patris, atq; vnitione duarum natura-
rum in Christo, veram, realem ac substantialem præ-
sentiam Christi in sacra cœna impiie pernegare, & fla-
gitiose impugnare non cessant. Ideo nunc vnicí illius
Magistri Filij Dei verbis veracissimis longe post ha-
bitis, hominum præceptorum Philosophicas arguti-
as verbo Dei, & ridiculæ illius sapientiæ humanae con-
iecturas fallaces, imaginationesq; mendaces scriptu-
ræ, vel potius veritati cœlesti anteferunt, iustoq; Dei
iudicio in sensum reprobum dati, pro eo quod veri-
tatem verborum Christi in cœna non recipiunt, bla-

A 2

phemiae

blasphemiae & illusionis spiritu agitati, sic philosophantur.

I.

Scriptura & Articulus Symboli dicit, DEI & Mariæ Filium ascendisse in cœlum, & sedere ad dexteram Patris: Indubitanter ergo & firmiter statuendum & credendum est, eum qui in cœlum ascendit, in certo & uno loco tantum esse, cœlo capi, & affixum seu alligatum in certo loco mansurum, usq; ad magnum & tremendum diem Iudicij.

II.

Inferunt ergo, cum summa dementia, in cœnia sacra, præsentiam Christi realem & substantialem, secundum utramq; naturam, & corporis Christi veri realis, ac naturalis mandationem, & veri sanguinis perceptionem, affirmari & credi.

III.

Adesse quidem Christum præsentem in sua cœni, & corpus & sanguinem eius sumi à credentibus, sed sic, ut oculos corporis, & aciem mentis sumentes auertant ab Elementis, & se conuertant sursum versus ad cœlos, ibiq; corpus Christi edant, et sanguinem eius bibant, Nam ibi tantum esse, & reperi corpus Christi.

IV.

Sacmenta vero, seu panem & vinum tantum esse media, seu organa, ad CHRISTVM communicantes, & ad eius spiritualem mandationem perducentia.

Nam

V.

Namcum constet physica & corporali locatione corpus Christi in cœlum sublatum, ac sedere ad dexteram Patris, atq; verè Christum secundum humanā naturam oportere alicubi esse localiter, nō posse fieri, vt idem Christus in pluribus sit locis.

VI.

Eleuatum autem ac sedentem ad dexteram Patris, per Sacra mentibus credentium, & per ea efficere in ipsis, quæ offert promissio in cœna.

VII.

Præsentiam itaq; Christi in cœna, non alio modo intelligendam, quā de præsentia efficaciæ, secundum naturam diuinam eum implere quidem omnia, sed secundum humanam naturam physica locatione, non nisi in certo loco esse in cœlo.

VIII.

Corporis ergo Christi, sic abducti in cœlum, nullam substantialem partem sumentibus communicari, nihil substantiale ex corpore Christi decidi.

IX.

Ac propterea dicta de mandatione carnis Christi, intelligenda de interiore spirituali renouatione, non de reali carnis transfusione.

X.

Eam ob causam & D. Paulum κοινωνίαν vocare v-

A 3

nionem

ationem cum Christo spiritualem, præsentiam efficaciam, atq; hanc esse ordinationem & institutionem coenam, ut per sacra symbola Christus sit efficax in credentibus, atq; hoc modo sibi colligat Ecclesiam.

X I.

Cogitandum igitur esse in sacra Synaxi, de præsentia tantum actionis, quæ sola salutaris sit credentibus, non de alligatione corporis Christi ad symbola.

X II.

Verissimè quidem Christum præsentem esse in coena, sed efficacia tantum, qua vere in sumptione panis & vini, p̄ijs præstat, quæ promittit Euangelium, atq; hoc ritu externo in credentibus obsignat ea, & de his bonis certos reddit.

X III.

Recte ergo dici Sacramenta nuda signa, seu spectacula visibilia, aut instrumenta, per quæ Filius Dei in Ecclesia est efficax. Non autem signa externa & visibilia, verum corpus Christi inuisibile exhibentia.

X IIII.

Ideoq; non dicendum nec credendum: panem esse verum corpus Christi essentiale & substantiale, sed externam tantum & visibilem rem, qua fiat societas inter pios & corpus Christi. Nam sumptuone Sacramenti credentes socios redi corporis Christi, Signis vero nihil substantiale accedere de corpora Christi.

X V.

Sic quoq; minime existimandum esse, sanguinem materialem, qui de latere Christi, ipso vulnerato effluit,

sit, & dissipatus est, hauriri in calice, sed fieri tantum
sumptione vini ob signationem, quod propter nos
hec effusio facta sit.

XVI.

Accedere itaq; pios ad Christum fide, nec querere
eum in Elementis corporalibus panis & vini, sed
statuere eum absentem & longe remotum à cœna, ef-
ficacem esse in cordibus ipsorum.

XVII.

Exhiberi quidem in cœna verum corpus & ve-
rum sanguinem Christi, sed non ita ut fiat aliqua alli-
gatio corporis Christi substantialis ad panem, aut cō-
mixtio substancialium Christi & hominis: sed ita, ut
constituatur præsentia tantum actionis & efficacia.
Non enim panem esse rem, cui vnitum vel commu-
nicatum sit corpus Christi.

XVIII.

Panem itaq; & vinum esse in cœna, ut nuda signa,
corpus vero Christi in infinitum distare, à cœlo captū
& conclusum, esse vero hoc ipsum tamen in cœna, sed
relationis seu representationis imaginaria cogitatione.

Pro his & similibus portentis, verborum preſtis
gijs, & pijs auditu horrendis blasphemij, iusto iudici,
qui nunc in sua cœna corpus suum & sanguinem suū,
exhibit digne sumentibus in salutem, & in refrigera-
tionem in die irę, sunt rationē reddituri, in die furoris
et indignationis, tam magistri improbi quam infelices
eorum discipuli & sectatores.

A 4

FVN.

FUNDAMENTA
VERÆ, PIÆ ET SALVTA
ris sententiae, ex sincero & genuino, Ar-
ticulorum eorundem intellectu
sumpta.

Nos igitur magna misericordia Domini, talibus
blasphemis & furoribus non contaminati, et verbis
Christi in coena suam auctoritatem, veritatem & re-
uerentiam exhibentes, remotis & reiectis Philoso-
phicis Caluini discipulorum argutis, ex vero, genui-
no, & simplicissimo Articuli Ascensionis intellectu,
tanquam ex suo fundamento assertionem & immotâ
ac inconcussam confessionem, præsentiae corporis
Christi veri: realis, substancialis, ac naturalis, deduci-
mus & confirmamus, confirmatamq; vera fide reti-
nemus & defendimus.

I.

Cum tota vetustate, & Ecclesiæ Catholicae vna-
nimis consensu articulum, Ascensionis Christi in cœ-
lum ὡς τὸ ἔχον accipimus & intelligimus, non nouū
aut peregrinum articulo Symboli intellectum affin-
gimus.

II.

Dicimus ex claris & perspicuis Symboli verbis,
ascensionem Christi esse visibilem eleuationem in
cœlum, & subductionem in nube. Nam & Scri-
ptura sacra in hoc intellectu de ascensione loquitur.
Sic &

III.

Sic & ipse qui ascendit, Dei & Mariae filius, suæ ascensionis fidus & verissimus est interpres Ioan. 15. cum ait: Hæc vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram. Est in mundo, loquitur hæc verba in mundo, & dicit se non esse cum discipulis, hoc nimirum modo, quo ambulabat, edebat, bibebat, & familiariter conuersabatur cum eis, secundum hanc humanæ vitæ conuerstationem, dicit se non amplius adesse discipulis. Adest ergo & non adest, diuerso respectu,

III.

In eandem sententiam loquitur & eodem capite, dicens: Exiui à Patre, & veni in mundum, & iterum relinquo mundum. Exiuit à Patre, sicut Paulus exponit Philip. 2. Cum esset in forma Dei, formam serui assumpsit, vixit inter homines visibili specie, communī vitę consuetudine: Relinquit verò mundum, secundum externam illam vitam, & visibilem formā, & est præsens discipulis, & omnibus pijs credentibus, usq; ad consumationem seculi.

V.

Eodem intellectu Ioan. 17. dicit se non esse in mundo, & tamen loquitur cum discipulis in mundo, sic se vero in mundo non dicit esse, sicut post se in mundo relinquebat discipulos suos, manet vero in medio suorum, ubi duo vel tres sunt congregati in nomine ipsius.

VI.

Sic Matth. 26. dicit eodem verborum sensu:
Pauperes semper habetis vobiscum, me autem non
B semper,

semper, non sic semper vobiscum, sicut pauperes, præ
sente, visibili & palpabili forma, Est tamen Emanuel,
& mansurus in omnem æternitatem nobiscum Deus,
tabernaculum Dei cum hominibus, Verbum caro fa-
ctum habitans in nobis, & habitaturum in omne æ-
uum, Ecce quam fidus ipse Dei filius sit interpres As-
censionis suæ in cœlum, Quæ est ergo temeritas imo
impietas, peregrinas & non necessarias Ascensioni
Christi affingere glossas.

VII.

His addatur & vberior declaratio, quæ continetur
apud Matth. cap. 28 in his verbis Christi: Data est mi-
hi omnis potestas in cœlo & in terra, Euntes ergo do-
cete omnes gentes. Ecce ego vobiscum sum usq; ad
consumationem seculi.

VIII.

Mutatis tantum verbis paululum, idem, quod a-
pud Marcum dicit: Iam abitus in cœlum, iubet di-
scipulos ire in uniuersum orbe terrarū, & dicit se man-
surum cum illis usq; ad consumationē seculi, In Mar-
co iam eleuatus cooperatur in sermone discipulis.

IX.

Quid clarius ostendere potuit ipse filius Dei, qui
eleuatus est, & sedet ad dexteram Patris, nihilominus
manens simul apud suos, usq; ad consumationem secu-
li, quam suam Ascensionē & Sessionem ad dexteram
Patris, non localiter, non physice, non circumscripti-
ue intelligendam, sed de gloriofa potentia & guber-
natione.

X.

Hæc enim potestas data, hæc gubernatio tradita
Filio

Filio à Pātre, est ipsa ascensio & sessio ad dexteram
Patris.

XI.

Sic subductus per nubem ab oculis discipulorū, non sublatus ē medio suorum ad consumationem seculi, crucifixus & resuscitatus Iesu à Nazareth, consedit ad dexteram Dei Patris, ac replet omnia, vbiqp præsens, vnuis idemqp Christus, Dei & Mariæ filius, secundum non vnam, sed vtramqp naturam,

XII.

Loquuntur & angeli cœlestes, Acto. I, primi de Ascensione filij Dei concionatores, eodem intellectu, ad discipulos dicentes: sic reuersurum viibili specie, quemadmodum viderunt abeuntem in cœlum,

XIII.

His verbis & angeli clare ostendunt & declarant, Ascensionem Christi nihil aliud esse, quam disparitionem seu euanescentiam ex oculis hominum, discessiōnem ex ista mortali hominum vita, visibili conuersatione hominum, & transmigrationem in regnum gloriosum.

XIV.

Ideoqp & textus ibidem dicit, subductum filium Dei à nube, ob oculis discipulorum, non ē medio omnino ipsorum ablatum, non remotum pastorem illū bonū ab ouibus suis, non caput auulsum ab Ecclesia, corpore & membris, non gallinam à pullis separatam,

XV.

Hanc Christi suæ Ascensionis declarationem & intellectum, retinet & D. Paulus, electum organum Christi, Ephe. 4. cum ait: Sedere fecit eum ad dexteram suam in cœlestibus, super omnem principatū ac potestatem, & virtutem & Dominum, & omne

B 2

nomen

nomen quod nominatur , non solum in seculo hoc,
verum etiam in futuro , & omnia subiecit sub pedes
illius, & eum dedit caput super omnia , ipsi Ecclesie,
quæ est corpus illius, complementum eius, qui omnia
in omnibus adimpleat.

XIX.

Idem dicit Paulus , alijs tantummodo verbis ,
quod apud Matthæum & Marcum Dominus, Magi-
ster, & Præceptor ipsius dixit, eum ascendisse &
sedere ad dexteram , & nihilominus eundem esse ca-
put Ecclesie, non auulsum aut separatum à corpore
& membris, sic etiam eundem eleuatum ac sedentem
ad dexteram Patris, omnia in omnibus adimplere.

XX.

Hoc caput Ecclesie sui corporis, hunc omnia in om-
nibus adimplentem, inuisibili præsentia, sublatum ex
œculis & communi vitæ conuersatione suorum, visi-
bili forma visuri sunt omnes redempti ipsius, reuera-
tentem ad iudicium, sicq; semper cum eo erunt, & vi-
debunt eum facie ad faciem sicuti est.

XXI.

Eodem intellectu, loquitur Apostolus & Ephes.
4. de Christi ascensione , dicens eum ascendisse super
omnes cœlos, ut implet omnia. Si omnia implet, nul-
lo modo ascensio & sessio, de locali, physica, aut circū
scriptiua locatione potest intelligi.

XXII.

Ascensio itaq; Christi, & ad dexteram Patris sessio,
maius

maius & sublimius quoddam continet, quam mutationem loci, nec Christi ascensio sic intelligenda est, ut eleuatio Eliæ aut Enoch.

XXIII.

Neq; sic intelligendus est sedere ad dexteram Patris, Dei & Mariae filius, sicut mater filiorum Zebedei, petebat filiis suis sessionem ad dexteram & sinistram, vel sicut Latro unus ad dexteram, alter ad sinistram pendebat.

XXIV.

Nam Christus in cœlum eleuatus, non est in locis, pro carnali humanæ rationis imaginatione, sed pro ratione diuina.

XXV.

Ac etsi corpus Christi, sit simul in cœlo & in terra, imo super omnes cœlos, non tamen est in diuersis locis, sed est in uno loco, supra, infra, intra & extra omnia huius seculi loca.

XXVI.

Sic non præsens suis visibili specie & palpabili corpore, secundum externam conuersationem, omnia tamen implet superna & inferna. Est vere præsens ubiq; ubi vult esse, præsentia aut visibili aut inuisibili,

XXVII

Sic & D. Petrus Domini & Præceptoris sui ascensionem & sessionem ad dexteram Patris intelligens, dicit l. cap. 3. Christus est ad dexteram Patris, profectus in cœlum, subiectus sibi angelis & potestatis ac virtutibus,

B 3

His

XXVIII.

His claris & perspicuis verbis ostendit D. Petrus Ascensionem Christi in cœlum, esse glorificationem, qua ad dexteram Patris collocatus est, non autem localē esse profectionem extra mundum.

XXIX.

Sic & auctor Epist. ad Hebr. 4. dicit Christum pœnetrasse cœlos, & ait: accedamus igitur ad thronum gratiæ, ubi est Iesus Pontifex noster.

XXX.

Hic vero Thronus gratiæ, certe non in certo loco, sed in omni est loco, ideoq; ab autore Epistolæ, Christus non allegatur extra omnes cœlos, non physice concluditur intra aliquot limites locorum, sed declaratur ipsum implere omnia, & ubiq; esse præsentē, suo illo throno gratiæ, glorioso modo, quo ad dexteram Dei sedet, omnemq; potestatem obtinet, & est omnia in omnibus.

XXXI.

Sic Psal. 110. dicit David, suum filium, & Dominū suum, sedere ad dexteram Dei, expresse significans, & secundum humanam naturam Christum obtine Sessionē ad dexteram, in qua sedens implet omnia, et est omnia in omnibus, ac exercet datam à Patre potestatem, super omnem potestatem ac principatum & virtutem, unus idemq; Dei & Mariæ Filius.

XXXII.

Corpus quidem Mathematicum, in uno tantum scimus loco natura sua contineri, sed corpus quod assumpsit Filius Dei in unitate personæ, assumpsit cum alijs proprietatibus præternaturalibus, quæ sunt coælestes

lestes & supernæ, ideoq; alio modo sentiendum & co-
gitandum est de corpore Christi, & de omnium alio-
rum hominum corporibus, quiescat hic Plato, cum
Philosophicis suis notitijs, & rationis coniecturis.

XXXIII.

Non enim communī modo hic homo Christus
Iesus, Dei & virginis Filius conceptus est, sed ex Spi-
ritu sancto, & virtute altissimi obumbrante, & in hac
conceptione, Spiritu sancto superueniente, tale cor-
pus a Spiritu, talibus præternaturalibus proprietati-
bus cœlestibus & diuinis, non tamen verum corpus
humanum destruentibus, formatum est.

XXXIV.

Quemadmodum igitur Christus, iuxta diuinita-
tis suæ naturam cœlum & terram implet, diuino mo-
do, sic etiam implet cœlum & terrā secundum huma-
nam naturam, admirando & nobis imperuestigabili
modo.

XXXV.

In huius vero confessionis solida & firmissima petra
acquiescentes, non detrahimus Christo veritatē hu-
manæ naturæ, sicut mendaciter & sycophantice res-
centiores & nouelli adeo Caluinistæ, nos facere di-
cunt.

XXXVI.

Confitemur enim Filium Dei humanā naturam,
cum illis proprietatibus, quæ ad conditionē humanæ
naturæ pertinent, assumptissime, & per omnia similem
fratribus factum, excepto solo peccato,

Prop-

XXXVII.

Propter personalem vero vniōnem cum diuinitate, credimus indubitata fide, humanam naturam in Christo suas habere prærogatiwas, quæ & alienæ sunt à nostris corporibus, & conditionē, siue idiomata nostrae naturæ superant.

XXXVIII.

Sic humanitatem cum Deitate coniungimus, non eam extendimus, neq; diffundimus corpus Christi locali seu corporali modo, sed tribuimus ei illam maiestatem, quam humana ratio comprehendere non potest, sed tamen ei propter hypostaticam vniōnem debetur.

XXXIX.

Et quia Paulus dicit in corpore Christi inhabitare totam diuinitatem corporaliter, credimus firmiter & ore confitemur, vnigeniti filij Dei corpus, omnia humana transcendere.

XL.

Quando ergo Scriptura aliquid prædicat de corpore Christi, non naturæ ordinem querimus in hoc corpore, quod præter naturam à Spiritu sancto conceptum, & ex virginē natum est.

XLI.

At etsi in fratrum, quibus similis factus est, corporibus tale quippiam non inuenimus, credimus scripturæ tale affirmanti.

XLII.

Hac ductrice & dotrice, scimus aliam rationem esse in corpore Christi, & in corporibus nostris. Christus enim habet non nudum corpus aut carnem alterius cuiusdam hominis, sed habet carnem coniunctam

Ctam cum diuina natura in unitate personæ.

X L III.

Sic non à Philosophia, sed à Deo docti in verbo, cōfitemur præsentiam Christi totius & integri, secundū utramq; naturam, visibili & inuisibili forma, ac dici-mus verum & eundem esse Christum, Dei & Mariæ Filium, præsentem visibiliter & inuisibiliter,

X L IIII.

Sic uisibilem adesse non dubitamus, totum & integrum Christum, secundum utramq; naturā, sanctis Dei Angelis, Latroni, & omnibus electis Dei, uisi-bili specie conspicuum, ubi cunq; locorum sunt con-gregati, nam de loco non sumus solliciti.

X L V.

Atq; ita necesse est, totum & integrum Christū, secundum utramq; naturam, non secundum alteram tantum, vtpote diuinam Ecclesiæ suæ, & omnibus ei-usdem pijs membris esse præsentem, quia humanitas Christi personaliter unita est eius diuinitati in unam personam.

X L VI.

Secus autem docentes, separant ac distrahabunt na-turas, adorando & inscrutabili modo, unitas in unam personam, nunq; ac ne in æternū quidem separandas.

X L VII.

Impium & blasphemum Nestorij dogma magnis laboribus ex Ecclesia Christi explosum, in eandē re-uocant, qui contra scripturæ sacræ tantam perspicui-tatem, rationis suæ tenebras diligentes, Christum se-cundum humanam naturam cœlo capi, & in certo lo-co in cœlo, quasi affixum, non reuersurum inde, ante extremū iudicij diem, philosophice quidem, sed non Theologice affirmant,

C

Deplo-

XLVIII.

Deploramus ergo in tanta luce scripture, amentiam ac cæcitatem hostiū cœnæ dominicæ, qua percussi spiritu illusionis & mendacij, metiuntur & cōminiscuntur imbecillitatem in corpore Christi, ex aliorū hominum caducorum corporum imbecillitate, atq; humanitatem Christi astringunt ad modulū nostrorū corporum, & in corpore Christi contradictiones queunt, ex communi cursu naturæ nostræ.

XLIX.

Qua dementia & corporibus sanctorum, in altera vita tale pondus, & eiusmodi molem ascribent, qua conuersari cum Christo, & esse semper non poterunt, multò minus ei similes futuri sunt.

L.

Negabunt tandem & ipsam Dei omnipotentiam, non potentē existimantes. Deum efficere, ut corpora physica sua circumscrip̄tua localitate priuentur, & ut corpora Electorū Dei, non possint aliter in loco esse, quam nunc sunt in hac terrena vita, cum nemini non constet, physicam illam localitatem, non pertinere ad regnum Christi spirituale.

L I.

Quin & hoc pernegabunt, mirabilem Deū, non posse mirabilia operari, ut qui fecit corp̄g in uno loco esse, si vult, & quando vult, aliter facere non possit.

L II.

Si vel hoc solum cogitarent & perpenderent, recentiores illi Sacramentariorum & Calvini discipuli, Deum omnia quæ vult facere & facere posse, nihil ipsis incredibile, nihil esset impossibile.

L III.

Deo

Deo vero suam tribuentes omnipotentiam, non
in sacra cœna ponerent statum controværiae in physi-
co corpore, Multo minus confunderent res terrenas
& spirituales, nec probationem impossibilitatis præ-
sentiæ corporis Christi, à natura corporis humani phy-
sici affererent.

L IIII.

Nos vero non tam deploramus hanc nouellorum
Caluinistarum, & mensæ Dominicæ euersorum insa-
nabilem dementiam, quam hoc vnum à Deo precib-
nostris efflagitamus, ne nos quoq; sinat à meridiana
luce, ad istas plusquā cimmerias tenebras deflectere.

L V.

In qua luce, diuina clementia & benignitate, con-
stanti confessione & fide immota, credimus secundū
genuinum verborum in cœna sensum & intelle-
ctum, Christum præsens corpus, non remo-
tum, non certo loco in cœlo affixum, verum, substan-
tiale & naturale, & sanguinem suum verum in pane
& vino, sumentibus tām dignis quam indignis exhi-
bere, quemadmodum in superioribus disputationi-
bus plenius differuimus.

Pereant ergo sua culpa, & iusto Dei iudicio, blas-
phemii & sacrilegi Sacramentarij ac Caluinista, corūq;
discipuli & Sectatores, quandoquidem non vna atq;
altera admonitione, sed indesinenti studio & labore,
iā per annos plus minus quadraginta à Lutero, & pīs
Luteri successoribus in instris Ecclesiarum, ut ouicula
perdita quæsiti, in viam redire noluerunt, nec hodie
volunt. Ac pro eo ergo quod veritatem verborū cœ-
næ non recipiunt, credant Sathanæ illusio[n]ibus, &
mendacijs mendacium sucrum præceptorum.

C 2

QVÆ-

QVÆSTIONES.

I. An verba Christi in cœna, satis perspicue et euiderter, utramq; manductionem, tam spiritualem quam corporalem seu sacramentalem, demonstrent & exigant?

II. An modus, ratio, ac physicæ circumstantia sacra mentalis manductionis fiscitari seu inuestigari debeant, aut possint etiam.

III. An corpus & sanguis Christi, minus absit à cœna, quam ipsa symbola?

IV. An Paulus, Ananias, Stephanus, Ioannes & Petrus, viderint Christum post Ascensionem in terris, & in ista elementari aëris regione.

V. An verba textus Acto 3. patiantur versionem no uellorum Caluinistarum, quem oportet cœlo capi.

VI. An qui physicam seu corporalem locationē in cœlo corporis Christi affirmant, simul affirmare possint in cœna, veri corporis Christi realis, substantialis ac naturalis præsentiam? Vel an potius tales duabus quod aiunt, sedentes sellis, conciliare studeant Christū & Belial: Sacramentarios Caluinistas, & veræ præsentiae Christi in cœna defensores et propugnatores?

FINIS.

AB: 47 ¹³_{a,2}

47-13/a,2

ULB Halle
002 692 066

3



S.6.



Farbkarte #13

B.I.G.



TERTIA
DISPUTATIO.

DE COENA DO-
MINICA, EX VERIS FVN-
DAMENTIS ARTICULORVM A-
scensionis Christi ad cœlum, Sessionis ad dexteram
Patris, & unitio[n]is diuinæ & humanae natu-
ræ, in unam personam Christi.

OPPOSITA VETERVM ET
recentiorum Caluinistarum, impijs & ineptis corruptelis &
argutijs Philosophicis, ex ijsdem articulis pers-
uerse intellectis, detortis, &c.



Andreas Musculus D.

I. COR. X.

Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne
communicatio est sanguinis Christi?
Panis quem frangimus, nonne communicatio est
corporis Christi?

M. D. LXXIIII.